

ov

Wahl im Abt

10

U. g. 17, 9



POSITIONES

De

Modis, quibus Obligaciones
tolluntur;

Quas,

OCCASIONE

Lib. XLVI. Digest.

AUXILIANTE DEO,

PRÆSIDE

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/

U. J. Doct. & Prof.

Exercitii gratia

Commilitonibus & Amicis
exhibet

JOHANN-JACOB DÆMON.

Ad diem 7. Mens. Maij.

M. DC. LVI.

Tubingæ,

LITERIS KERNERIANIS

ILLUSTRIBUS,
GENEROSIS ET NOBILISSIMIS
DOMINIS,
DIRECTORI, CONSI-
LIARIIS,
CÆTERISq; INCLYTI
Ordinis Equestris Suevici, partis
Cocharicæ
DEPUTATIS,
PATRONIS SUIS
MAXIMIS,

Theses hasce

*in debiti obsequii munus
eius offert & dedicat*

A. & R.

3.
CUM DEO.

POSITIO I.

INter modos, quibus obligationes ipso jure tolluntur, principem locum obtinet Solutio; quæ est modus dissolvendi obligationem per naturalem rei debitæ præstationem, animo solvendi factam.

II.

Ad veram solutionem requiritur utriusque & dantis & accipientis voluntas; ex quo sua sponte sequitur, invito solvi non posse.

III.

Pupilli & Minores curatorem habentes, sine Tutorum autoritate & Curatorum consensu solvere nequeunt; ita tamen, ut si de facto aliquid debitoribus præstent, licet ejusdem domini maneant, periculum ad creditores pertineat.

IV.

Etiam tertius non debitor, pro vero debitore & ejus nomine efficaciter solvere potest; nec interest, debitor hoc sciat, sive ignoret. Imo etiam pro invito solvens, obligationem tollit, licet contra illum nullum regressum habeat.

V.

Pupillis & Minoribus sine tutorum autoritate, & curatorum, quos habent, consensu, nihil recte solvitur, nec obligatio per solutionem ipsis factam, licet locupletiores facti sint, extinguitur: & si pecunia hoc modo soluta, fuerit male consumpta, ipso jure contra debitorem salvam habent priorem obligationem. Errant enim, qui hoc in casu restitutionem in integrum necessariam esse docent.

VI.

Jure novo præter auctoritatem tutorum & consensum curatorum, etiam Judicis requiritur Decretum; nec sufficit judicialis quittance.

VII.

Hinc si minori cum curatoris consensu, sine tamen Judicis decreto, debitum fuerit solutum, & postea perditum vel male collocatum, quæritur; an minor priorem actionem contra debitorem ipso jure salvam habeat, an vero ipsi restitutio in integrum necessaria sit, & per consequens major factus post quadriennium elapsum audiendus non sit? Illud in pronunciando secuti sunt Professores & alii Facultatis Juridicæ Lipsiensis Assessores. Hoc verò in eadem causa responderunt Scabini Lipsienses. Nos pro prima pugnabimus sententia.

VIII.

Quid si debitor non minori, sed ipsismet curatoris solvat? Hoc casu nec Judicis decretum necessarium esse, nec minorem contra solventem regressum habere, etiam si pecunia soluta, perempta atque consumpta fuerit, tradit post Johannem Gutierrez & Paul. Montanum, Dn. Benedictus Carpzovius; hoc insuper addito, quod pecunia exsoluta tutori vel curatoris, si postea pereat, vel male consumpta sit, pereat periculo ipsius curatoris, in cujus dominium transierit, non verò solventis. Sed contrarium, & secundum *l. 25. C. de administr. tutor.* etiam hoc in casu pronunciarunt prælaudati Professores & Facultatis Juridicæ Assessores; quorum sententiam ut juri convenientem defendimus.

IX.

Concurrente Creditore, & in rem suam Procuratore, utroque solutionem urgente, huic tantum recte solvitur.

Titius

S.

X.

Titius Sejo debet 100. Sejus Cajo etiam in centum est obligatus. Titius Seji ignorantis nomine Cajo, & sic creditori creditoris sui solvit debitum, quæritur quid juris? Respondeo obligationem inter Sejum & Cajum contractam, per hanc Titii solutionem ipso jure extingui. Titium vero à Sejo creditore suo, pro quo solvit, tantum ope exceptionis liberari.

XI.

Regulariter res ipsa debita, & quidem tota solvenda; nec invito creditori alia pro alia, vel ejus tantum pars obtrudi potest.

XII.

Nova Imperii Constitutio, quæ debitoribus ratione fortis moram concedit, & in solutum dationem ac particularem solutionem permittit, non pertinet ad debita, post Pacificationem Osnabrugensem contracta.

XIII.

Solutione debitoris arbitrio relicta, (Dasß der Schuldner es nach seiner guten Beliebung wieder bezahlen soll) ante ejus mortem nihil exigi potest. Heredes vero statim conveniri possunt.

XIV.

Debitor, etiam non interpellatus, debiti solutionem jure offerre potest creditori, licet repetitio hujus arbitrio fuerit relicta; Dasß Er soll macht haben solches nach seinem guten Belieben wieder zu fordern.

XV.

Fidejussore solvente, etiam principalis ipso jure liberatur.

XVI.

Acceptilatio non est stipulatio; & hodie citra interrogationis & responsionis solennitatem fieri potest.

D 3

Inutilis

6.

XVII.

Inutilis acceptilatio vim pacti habet.

XVIII.

Acceptilatione spe futuræ numerationis factâ, utilis datur condictio causa data causa non secuta.

XIX.

Adjectus licet solutum recipere possit, acceptum tamen ferre non potest.

XX.

Etiam rei debitæ depositione rite & solenniter facta, obligatio ipso jure tollitur, ita ut non tantum principalis debitor, sed etiam fidejussores & pignora liberentur.

XXI.

Fidejussor, qui debitum rite deposuit, statim contra debitorem mandati vel negotiorum gestorum actione recte agit.

XXII.

Pecuniâ deposita à Judice consumptâ, creditori non contra debitorem, sed tantum contra Judicem datur actio; licet Judicis inopia hanc actionem reddat inanem.

XXIII.

Porro solvitur obligatio solo consensu contracta, mutuo debitoris & creditoris dissensu, modo res adhuc sit integra. Arrha autem data, non desinit esse integra.

XXIV.

Etiam compensatione tolluntur obligationes ipso jure, ita ut usuræ quoque currere desinant, fidejussores & pignora liberentur; & si postea quid solutum sit, indebiti condictio detur.

XXV.

Si debitor creditori, vel creditor debitori succedat, extinguitur obligatio confusione,

Sed

XXVI.

Sed hodie & debita & credita beneficio Inventarii salva manent.

XXVII.

Debitor principalis si succedat fidejussori, vel fidejussor debitori, aut unus utriusque, confusione tollitur obligatio fidejussoria.

XXVIII.

Idem dicendum esse existimo, si fidejussor principalis succedat fidejussori succedaneo.

XXIX.

Ulterius etiam præscriptione tolluntur obligationes ipso jure.

XXX.

Item si res in specie debita ante moram & citra debitoris culpam perierit.

XXXI.

Plures autem res si alternative debeantur, una perempta, debetur altera, nec unius interitus perimit obligationem.

XXXII.

Huc etiam pertinet concursus duarum causarum lucrativarum, quoad unam rem, unamque personam.

XXXIII.

Denique etiam tolluntur obligationes cum accessionibus, per novationem, qua tamen in priorum locum alia substituuntur.

XXXIV.

Novatio hodie etiam nudo consensu, citra stipulationis solennitatem fieri potest; modo de animo novandi legitime constet.

Pupil.

XXXV.

Pupillus creditor sine tutore priorem obligationem novare non potest; Debitor vero pupillus, etiam sine tutore novando priorem extinguit.

XXXVI.

Alienam obligationem potest quis novare promittendo, sed non stipulando.

XXXVII.

Inter delegantem & delegatum non tollitur obligatio ipso jure.

XXXVIII.

Nec sententia absolutoria vel juramentum obligationem ipso jure extinguit.

XXXIX.

Denique obligationes quædam morte Creditoris pereunt, ut actio injuriarum prætonia & similes; nisi lis sit contestata.

XL.

Et tandem quæ ex delicto descendunt, morte Debitoris pereunt.



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974




sb.

7360



A **F** **o** **r** **i** **t** **e** **s** **e** **t** **o** **m** **n** **i** **a** **q** **u** **e** **m** **o**
h **u** **m** **a** **n** **i** **d** **i** **c** **t** **e** **s** **e** **t** **a** **l** **i** **q** **u** **a** **e** **s** **u** **a**



Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



ES

obligationes

NE

ft.

DEO,

M O Lauterbach/
Prof.

Amicis

DÆMON.

Maij.

ANIS

